

Σὺν Θεῷ

JUSTIFICATIO.

NEM

FIDELIUM SUB V. T.

à

COCCEJANA PARESI,

PRÆSIDE

VIRO SUMME REVERENDO,

DN. SAMUELE SCHELGUIGIO,

DOCTORE atque PROFESSORE THEOLOGO, undi-
quaque celeberrimo, Athenæi Rectore & ad SS. Trinit. Pastore,

Summè merito merentique,

DOMINO, FAUTORE, atque PRÆCEPTORE SUO
summè observando,

In Incltyti Athenæi Patrii Auditorio Maximo,

Ad diem XXXI. Augusti A. O. R. M DCC II.

IN AUDITORIO MAXIMO

Horis constitutis

publicè solenniterque vindicabit

AUCTOR - RESPONDENS

MICHAEL Gottlieb HANSCHIUS,

Gedanensis.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,

ATHEN. TYPOGR.

28.

L. H. 57. 6

coll. diss. A
16, 15

Diss. A. 216. (15)

PARENTI,
POST. DEUM. VENERABILI.
VIRO, ADMODUM. REVERENDO. AMPLISSIMO,
CLARISSIMOQUE.
DN. MICHAELI. HANSCHIO.
AD. ÆD. B. VIRG. DIACONO. DUDUM. MERITISSIMO.
FILIALEM. PRO. TOT. TANTISQUE. INDE.
AB. INCUNABULIS.
PATERNE. IN. SE.
COLLATIS. BENEFICIIS.
DECLARATURUS. CULTUM, AC. GRATITUDINEM.
PATERNIQUE. INSIMUL. AFFECTUS. CONSTANTIAM.
EXORATURUS.
LEVIDENSES. HASCE. PAGINAS.
SACRAS. ESSE. CUPIT.
ÆTERNUS. DEBITOR.
FILIUS. ÆTERNO. OBSEQUII. CULTU.
DEVINCTISSIMUS.
MICHAEL. Gottlieb. HANSCHIUS.



Σὺν Θεῷ
Προάυλιον.



QUANTI in Theologiâ nostrâ momenti, quantæ utilitatis & quantæ necessitatis sit *Articulus de Justificatione hominis peccatoris coram DEO*, nobis graphicè ponit ante oculos maximorum meritorum Theologus B. Martinus Chemnitius scribens: Hic unicus locus præcipuè discernit Ecclesiam à reliquis omnibus gentibus & superstitionibus, sicut Augustinus inquit: *Ecclesia discernit justos ab injustis, non lege operum; sed lege fidei.* Imò hic locus est tanquam arx & præcipuum propugnaculum totius doctrinæ & religionis Christianæ, quo vel obscurato, vel adulterato, vel subverso, impossibile est puritatem doctrinæ in aliis Locis retinere. Salvo autem hoc loco, corruunt per se omnes idolomania, superstitiones, & quicquid est corruptelarum in omnibus ferè aliis locis. *P. II. LL. Theol. p. m. 216.* Concinunt Martinus prior, nempe Megalander Lutherus, cujus verba vid. *Tom. 4. Jen. Lat. f. 59. a. & f. 92. a. b.* Barth. Meisnerus in *Anthropolog. Dec. III. Diss. 24. th. 3.* & qui non? Sicut autem vix ullus fidei articulus æquè ad salutem necessarius est: ita vix ullus gravioribus unquam controversiis fuit expositus; vix ullus etiam, ut purus atque illibatus conservaretur, ab heterodoxorum corruptelis, majori studio omni tempore fuit vindicandus. Pontificiis, operibus suis justificationem commaculantibus ac propriâ suâ justitiâ DEI misericordiam & Christi meritum dehonestantibus, masculè semper resisterunt nostrates verè Catholici. Nec minori cum fervore ex pio zelo obviam itum est Socinianis, imaginariâ h. e. efficiâ acceptilatione divinam justitiam evertentibus. Nobis jam unicam in V. & N. T. justificandi rationem, quâ Deus ex immensâ misericordiâ hominem perfidem, quæ unicè in Christum Salvatorem toto animo recumbit, ex statu iræ in statum gratiæ traducit, adversus tantopere decantatam celebratissimi *Johannis Coch, sive Cocceji*, Theologiæ dum viveret in Academia Lugduno-Batavâ Professoris Publici, *PARE SIN* defendere allubescit. Nam necessarium omninò est, non tantùm fidelium sub Novo; verùm etiam sub V. Testamento, ut uno eodemq;

Justificationis perfectæ beneficio gaudentium, causam agi. Horum igitur causam ita agere constituimus, ut, cum circa Justificationem Fidelium V. T. non Pontificii tantum; sed & Sociniani, Arminiani, Anabaptistæ, & cum his alii, erronea doceant: nos impræsentiarum tantum, quid Coccei argumenta, quibus justificationem Patrum, per & propter Christum in temporis plenitudine olim pro totius mundi peccatis satisfacturum, veram atque consummatam impugnat, in recessu habeant, pro ratione instituti nostri exploremus. Dignam enim hancce materiam judicavimus, quam ante discessum, quem paramus, συνοπτικῶς expositam publico susteremus examini. Faxit Deus T. O. M. ut omnia FELICITER!

§. I. Inter alias novitates, quarum semper ferax fuit Belgium, ducunt facilè familiam Coccejanæ. Eminent verò inter nova Coccejanorum dogmata, velut inter ignes luna minores, elicitæ ex Rom. III. 25. Παρέσιως atque Ἀφέσεως famosa distinctio. Ejus vanitatem cum demonstrare animus nobis sit, non inutile, imò necessarium esse videtur, de duobus hisce Scripturæ vocabulis aliquid præfari. Ἀφesis apud Græcos dicitur παρὰ τῆ ἀφίημι sino, relinquo, & με ἀπονοέω, repudio, nec non, solvo, dimitto, emitto, permitto, omitto, missum facio, desero, remitto, condono, posthabeo. Et quamvis varias admittat significationes, palmaria tamen est, quando ad dimissionem debiti vel offense, sive peccatorum condonationem transfertur. Sapientissimè in hoc sensu legitur in N. T. ut Matth. XXVI 28. Luc. X. V. 47. Act. X. 43. Ephes. I. 7. Ὅτι Παρέσις autem vox ἀπαξ λεγομένη in Sacris ἀπὸ τῆ παρήμι relaxo, remitto, resolvo, dimitto, omitto, permitto, prætermitto, missum facio, negligo, relinquo, transmittio proximè derivatur, & propriè quidem defectionem, languorem, tabem, membrorum dissolutionem viriumque corporis extenuationem, ut in Paralyti. Conf. Hebr. XII. 12. metaphoricè verò absolutionem etiam ac peccati remissionem designat, prorsusque τῆ ἀφέσει æquipollet. Illustre ejus rei exemplum ipse princeps in Epistolâ ad Romanos Cocceji locus supeditat, paulò uberius infra à nobis explicandus. Scitè interim de illo Eduardus Leigh in Criticâ suâ Sacrà: *Parēsis, inquit, cum propriè relaxationem declares adstrictioni oppositam, eleganter ad peccatorum remissionem applicatur, quibus tanquam vinculis arctissimis mundum irre-*

suum tenebatur, & quorum compedes lex adstringebat: itaque idem hęc declarat atque alibi ἀφεσις, id est, liberatio, & quasi emissio, quę est illius relaxationis effectum. Adi pariter & confer Vaninum atque Hesychium παρέσις per ἀφεσις satis clarè interpretantes.

§ II. Hęc circa Voces παρέσεως καὶ ἀφέσεως observasse nunc sufficiat, ut dispalesceret, falsò Paresin ἀφέσει opponi. Præmittenda jam etiam erunt nonnulla, quę lucem affundere controversiæ, ejusque sensum plenius detegere queant. Ad meliorem itaque statûs Quæstionis intelligentiam faciet, si, quo sensu à Coccejo, cùm de justificatione V. T. an consummata sit ac ἀφεσις importet, nec ne; disceptatio instituitur, Paresis dicatur, attenderimus. Denotat ipsi Paresis in Emphasi (ut loqui amat) sive Aphesi opposita, præteritionem tantùm & tolerantiam nudam, sive prætermisionem, transmissionem, omissionem, non-punitionem criminum, remissionem pœnæ non culpæ, sive non plenariam, quę consistere possit cum imputatione peccati, neque retentionem reatûs excludat, meram dissimulationem solamque peccatorum conniventiam: nequaquam autem dimissionem, ac remissionem plenariam culpæ & pœnæ, utpote quę omnia Aphesi Novo Fœderi propriæ sint adjudicanda. Quando igitur quæritur: An Fideles sub V. T. consecuti sint plenam peccatorum remissionem, & omnimodam ac propriè dictam ab irâ divinâ & maledictionis reatu liberationem? Negativam tenet Antagonista, & solam paresin Patribus fuisse concessam, quę subreatu, irâ ac timore mortis eos reliquerit: nobis verò ipsam aphesin dari opinatur. Diversimodè tamen istam paresin esse dispensatam asserit. Licet enim omnia secula lapsa fuerint ad Christum sub paresi; attamen distinguenda esse duo ante Christum tempora: Ante Mosen sive Legem, in statu libero, fuisse paresin cum silentio, licet cum exprobrabilitate peccati, (Vid. Dissp. 19. de Fœdere Gratię in V. ac N. T. §. 49. 50. 51. 65. T. 6. Opp. p. 35. 36. Commens. ad Ebr. 2. §. 83. T. 5. p. 486. Edit. Francof.) post Mosen sive Legem, in statu servili, cum accusatione, imputatione, & exprobratione peccati, introductâ miserrimâ statûs Ecclesię, per μοχλοποιίαν, à quâ exordium V. T. arcessit (Confer Considerationem Principii Evangelii Johannis cap. 9. §. 127. T. 4. Opp. p. 87.

Add. Wittichius Theol. Pacif. §. 277.) mutatione. Atque huc pertinet simile illud à creditore desumptum *Summ. Theol. c. 51. §. 11. T. 6 p. 178.* qui potest vel filere omninò, vel interim compellare debitorem & eum cogere confiteri debitum.

§. III. Si certius ac clarius de ejus mente edoceri cupis, edita scripta evolvas. Sub reatu, sub irâ, maledictione & metu mortis per omnem vitam à Mose usque ad Christum collocat fideles, post commissam in deserto *Μοχολα/σειαν* in *Comment. Epistole ad Romanos c. 5. v. 13. 14. §. 69. 70. 71. T. 4. Opp. p. 446. seq. in c. 4. v. 15. §. 42. 45. p. 432. ad Galat. c. 3. v. 10. §. 78 T. 4. p. 901. §. 85. 86. p. 902. §. 179. p. 911. §. 223 p. 916. ad Ephes. I. 7. §. 100 T. 4 p. 1024. seq. de Sabbatho & quiete N. T. §. 55. T. 7. Opp. p. 11. ad Ultima Mosis §. 551. T. 1. Opp. p. 247. adimit illis quietem animæ, conscientiam pacatam & tranquillam *Commentar. in Ezechiel. XX. 26. T. 3. Opp. 202. in Epist. ad Galat. II. 21. §. 139. T. 4. p. 891. ad Ebr. X. §. 1. T. 5. p. 581. Indagation. Natur. Sabbathi & quietis in N. T. §. 4. 5. T. 7. p. 3. denegat Spiritum adoptionis; & pro eo Spiritum timoris ac servitutis attribuit, qui prohibuit eos propè accedere ad Deum, in fiducia filiorum *Commentar. in Epist. ad Roman. VIII. 15 §. 57. 60. 63. 64. 65. T. 4. p. 487. seqq. ad Galat. III. §. 123. T. 4. p. 906. Diss. de Fædere §. 66. T. 6 p. 36. Summâ doctrine de Fædere & Testam. Dei. §. 337. T. 6. p. 70. Summ. Theol. c. 13. §. 53. T. 6. p. 66. seq. c. 54. §. 9. p. 184. c. 68. §. 6. p. 242. seq. c. 74. §. 7. T. 6. p. 257.* Jesum Christum ut fidejussorem saltem, non expromissorem sistit, qui ita pro hominibus obligabatur, ut nihilominus illi obligati manerent, in *Summ. Theol. c. 69. §. 13. T. 6. p. 246.* Unde Deus jus sibi & libertatem reservaverit, tamdiu ab iis, ceu primariis debitoribus, exigendi solutionem, & pœnas, quas homines incurrebant per peccata, inculcandi, donec expiatio facta esset. *Vid. Wittich. Theol. Pacif. §. 290.* Fidem sub. V. T. vult fuisse tantum spem justitiæ dandæ; in Novo contra fidem justitiæ datæ in *Epist. ad Galat. III. 23. §. 217. T. 4. p. 915. Diss. ad Rom. 3. de Justific. §. 12. T. 6. Opp. p. 97.* Dominationi angelorum ceu deorum *λεγομένων* Ecclesiam V. T. serviliter subjicit in *Epistol. ad Galat. III. §. 186. T. 4 p. 912. c. IV §. 21. p. 920. in Explicatione Epist. ad Hebræos c. II §. 14. T. 5. Opp. p. 474. §. 39. p. 477. in Apocal. XIX. 10 §. 9. T. 5. p. 980. Dissp. Selectar. III. de Nœione Vocis Elohim, & λεγομένοις Θεοῖς §. 14. T. 6.***

T. 6. p. 5. *Add. Wittich. Theol. Pacif.* §. 285. imò quodammodo imperio diaboli *Comment. in Apoc.* XII. 7. 9. 10. §. 11. 12. 14. 16. 17. T. 5. p. 944 *seq. Summ. Theol.* c. 69. §. 9. 10. T. 6. p. 246. nec non potestati Principum, Seniorum ac Sacerdotum, ut Deorum λεγομένων nuncupatorum *Consideration. ad Ultima Mosis* §. 357. 519. T. 1. *Opp.* p. 236. 245. *Commentar. ad Colossens.* II. 15. §. 114. 116. T. 5. p. 117. *seq. Summ. de Fædere* §. 354. T. 6. p. 86. *seq. Summ. Theol.* c. 74. §. 50. T. 6. p. 263. Adeò duriter ille de statu Patrum sentit, postquam leniorem sententiam, cujus vestigia quædam in *Commentar. ad Zachar.* III. 3. & 4. §. 9. *Tom. III Opp.* p. 636. *item in Summâ Doctrinæ de Fædere & T. Dei* §. 353. T. 6. p. 85. *Conf. etiam Leydekkerus in Vi Veritatis Lib.* 5. *Controv.* 8. p. 207. apparent, cum duriore commutavit. Quo effecit, ut paucissimi sectatorum eum hâc in parte sequerentur. Vid. *Hulsius in Specim. Theol. Hypothes.* P. 2. p. 137. *B. D. Alberti de Cartesianism. & Coccejanism.* c. 1. §. 52. 53. Sed hæc omnia dedit nimia in vocem *Parescos* semel usurpata ab Apostolo, quasi eâ natura justificationis sub V. T. fuisset expressa, mentis defixio.

§. IV, Ad destruendum igitur hoc *Πρώτον Ψεύδος*, in initio opus erit semetipsum in hâc Controversiâ explicantem, animique sensum propriis verbis exprimentem *Coccejum* audire. Sic ille *Dispp. Selectar.* XL *ex Rom.* 3. *de Justificatione* §. 10. T. 6. p. 97. *Quamdiu Lex sonuit & tonuit, non fuit manifestata justificatio hominis peccatoris. Sed totum illud tempus fuit tempus παρεσιως quasi dissimulationis.* §. 27. 28. *Justitiâ, quæ est gloria Dei & per quam omnis gloriatio excluditur, qui fuerunt sub lege fuerunt destituti.* §. 35. *Gratia Justificans est voluntas Dei, quâ statuit peccatores redemptos simul Christo inferere & insertos non condemnare, sed absolvere nec accusare, sed consolari, eisque vitam æternam dare. Quæ Gratia sive voluntas est Novi Testamenti. Quibus gemina leges ubique ferè in Commentariis. Et quidem in Psalm. CXXXVIII. 2. T. 2. Opp. p. 499. scribit: Remissio peccati, propterea, quia id nondum erat expiatum, sed adhuc extabat, & puniri poterat, habuit tantum speciem παρεσιως, dissimulationis ac conniventiz. In Explicatione Epistolæ ad Hebræos IX. v. 15. §. 81. T. 5. p. 572. hæc tradit: Usque ad Christi mortem transgressio fuit, etiam sub V. T. & condonata non fuit; quamquam*

quam

quam fuerit quodammodo dissimulata. Ad N. T. pertinet remissio peccatorum. Ergò sub priori non fuit remissio. §. 82. Condonatio perfecta sub V. T. non fuit. Item *ad Caput X. v. 7. 18. §. 74. 75. T. 5. p. 589.* Remissio non datur absq; satisfactione: fuit tum quoad statum hujus vitæ magis tanquam Paresis, conniventia & dissimulatio peccati, quàm Aphesis dimissio. Similiter *in Commentario ad Epistolam ad Galat. III §. 225. T. 4. p. 916.* Ex hoc loco, inquit, intelligi potest, quid sit ea *πάρεσις* sive *transmissio peccatorum*. Nempe cùm maledictio adhuc non esset abolita, & peccata (quantum attinet satisfactionis defectum) adhuc puniri possent: Deus tamen, contentus exegisse confessionem debiti, ea non punivit, dissimulavit. Et *in Psalm. LXVII. v. 2. §. 3. T. 2. Opp. p. 252.* commentatur hunc in modum: Peccatum, quamquam per fidem justis essent apud Deum, quadante nus imputabatur: Rom. 5. v. 13. Unde non potuerunt omninò & plenè lætari, & Deo gratias agere, tanquam peccato non amplius imputato & remisso. Hinc est quòd Apostolus *χαρίων, gratiam, ἀφεσιν, remissionem, non imputationem peccati, δικαιοσιν, justificationem* in significatione excellenti Novo Testamento vendicat. Paria occurrunt *in Commentar. ad Rom. 3, v. 25 §. 70. T. 4. Opp. p. 418. seq.* Justificatio, quâ nunc justificamur, longè potior est eâ justificatione, quâ justificatus est vel Abraham, vel David. Illos enim diligebat Deus ad salutem. ut sponsorem habentes; sed tamen adhuc *ὑποδίκης* reatui obnoxios: nos autem diligit, ut habentes sponsorem contummatum. Ideoque illos quidem de reatu admonere, & ab eis confessionem ejus exigere potuit: nobis autem in publico proponit Christum propitiatorium; neque quicquam amplius à nobis exigit faciendum propter peccatum & reatum, tanquam ad ejus expiationem, Et §. 72. Patres comparat debitoribus, quos possumus *παρεσέναι* & prætermittere & præterire, sive quietos esse sinere, quos con compellamus, quibus tamen debitum non remittimus, ut etiam chirographum restituamus, & scribamus, nos *ἀπέχεσθαι*, sive accepto eis feramus *ἄς* solum, & declarem ipsos à nobis nunquam compellatum iri. In *Dissertatione de Fœdere Gratiæ in V. ac N. T. §. 67. 69. T. 6. p. 16.* ait: Justificatio propter *imputationem* quandam peccati & *iram*, quam operabatur Lex, tum speciem *παρέσεως* tantum habebat. Fuit eo tempore

pore

pore ἐλπίς *fitis*, *expectatio* iustitiæ & Evangelii; & ea fitis non fuit restincta. In *Summâ Theologiæ* c. 69. §. 26. Tom. 6. p. 248. Nullum, peccatum, inquit, propriè remissum fuit sub V. T. & illi tamen iusti, suo modo appellati sunt. Adde *Summ. de Fœdere* §. 339. T. 6. Opp. p. 78. seq. & *Considerationes ad ultima Mosis*. §. 422. T. I. Opp. p. 219 &c.

§. V. Vides ex allatis quæ sit Cocceji opinio: ante verò quàm orthodoxam sententiam, his novitatibus è diametro contrariantem, ex S. Literis stabiliamus, prænotandum est: *Non de modo rei, sed re ipsâ quæri*: Modum justificationis in V. T. discrepare à nostro, in sano sensu concedimus; dummodò utrobique intacta relinquatur ipsa justificationis veritas. Ita datur diversitas modi, (1) *ratione cause meritoria*: quæ in V. T. fuit obedientia Mesia præstanda, in Novo est præstita; in V. T. fuit lytrum solvendum, in Novo est lytrum solutum: (2) *ratione mediæ*, quia in V. T. obtinebat Scriptura Prophetica, cujus præcipuum objectum Lex est, ut tamen ad monstrandum finem legis, qui est Christus, Rom. X. 4. quædam ad Evangelium pertinentia etiam V. T. includantur; in N. obtinet Scriptura Apostolica, cujus principale objectum est Evangelium, non exclusâ tamen lege morali Ps. XIX. 8. Illic confirmabatur remissio peccatorum pio sacrificiorum usu & imprimis usurpatione Sacramentorum, Circumcisionis & Agni Paschalis; Conf. B. D. Schomeri Disput. de Sacramentis V. T. §. 9. hic Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ: in Veteri T. habuerunt Patres suam remissionem fide in Christum exhibendum; in Novo T. nos nostram fide in Christum exhibitum, & jam in cruce oblatum. Ut enim eadem utrobique fides maneat, quoad substantialia; probè tamen observanda est distinctio, inter ipsam *promissionem Divinam* de Mesia exhibendo, quam pii Patres per veram fidem apprehenderunt, atque tenuerunt, haud secus ac si Messias Evangelio promissus jam tum fuisset exhibitus & in arâ crucis pro nobis mactatus, & inter *rem promissam*, quæ non semper præsens, sed aliquando futura est. Unde in V. T. fides in Christum venturum mittendumque tendebat. Conf. Augustinus Opp. Tom. VII. de *Gratiâ Christi* & P. Originali Lib. 2. c. 25. 26. item Lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. Bernhardus Epistolâ 190. Opp. col. m. 1557. d. (3) *ratione objectorum*: In V. T. parcius hoc beneficium fuit concessum

cessum, multis in ipso Israële viventibus incredulis, in N. T. extensive major est justificatio, quatenus ad omnes gentes diffunditur; (+) *ratione adiunctorum*: in V. T. remissio dabatur minori cum consolatione & lætitiâ, quàm nunc sub N. idque, propter Evangelii claritatem, ablationem jugi legis ceremonialis, majoremque consolantis spiritûs, effusi per Christum exaltatum, mensuram. Quæ omnia tamen diversitatem intrinsecam ac essentialem, qualem inter Parefin & Aphesin intercedere, Coccejus fingit, nondum inferunt.

§ VI. Remotis ita removendis, ad vindicandam piorum Veterum plenariam perfectamque Justificationem accedimus, eam ex quàm plurimis Sacræ Scripturæ oraculis evicturi. Primum nobis fundamentum suggerit illustris locus *Actor. XV. 11.* ubi Controversiam omnem sufficienter decidit Petrus, in Concilio Hierosolymitano primo Apostolico, unam ponens consequendæ salutis viam, per quam omnes V. & N. T. credentes assecuti sint vitam æternam: *Per gratiam*, inquit, *Domini Jesu Christi credimus salvari*, καὶ ὅν ἡγόπον καὶ κείνοις *secundum quem modum & illi* (scil. Patres in V. T.) Idem confirmat *Esaïas c. LIII. 5.* se etiam & συγχρόνως suos livore Christi sanatos esse asserens. Maximè autem huc spectat Davidis, peccatoris maximi, justificati post adulterium & homicidium insigne exemplum, qui scelerum pœnitentiâ ductus ad Nathanis objurgationem, cum humiliter confiteretur peccata sua dicens: *Peccavi Domino*, 2. *Sam. XII. v. 13.* non odio habebatur à Deo, sed mox lætam à Nathane audiebat absolutionem: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Exempla plura sanctorum V. T. fide in Christum justificatorum recensentur *Hebr. XI.* Ut taceam ex Scripturâ V. T. alia hujusmodi loca, in quibus tales de Remissione peccatorum expressiones, phrasisque emphaticæ inveniuntur, magnitudinem scilicet & efficaciam condonationis peccatorum declarantes, quæ de merâ ἀῖσῶσες sive Parefi interpretari velle, absolum esset. Ita *Psal. XXXII. 1. 2.* perhibentur peccata eorum, qui sunt justi ac beati regi, non imputari, & *v. 5.* David præviâ peccatorum confessione, ex contritione ac fide ortâ, expressè dicitur remissionem eorundem esse consecutus. *Esa. XLIV. 22.* iniquitates & peccata delevisse se ut nubem & quasi nebulam profitetur ipse Deus. *Pf. LI. 4. 9. 11. 12.* talutionis & mundationis à peccato mentio fit. *Esa. XXXVIII. 17.*

pro.

projectionis peccati post tergum & Mich. VII. 19. NB. in profundum maris. Quarum vocum singularem in textu authentico emphasin evoluit Leydekkerus in Vi Veritatis Libr. 5. Controv. 11. Sect. 2 p. 329. seq. Add. Genes XLIX, 18. Exod. XXXIV. 6. 7. Job. VII. 20. 21. Ps. XXV, 7 XXX. 4 LXV, 4. LXXIII, 25. 26. LXXXIV, 12. LXXXV, 3. CIII, 1. 8. seqqqq. CXVI, 16. 17. CXLVI, 5. Proverb. XIV, 32. Esa. I. 18 XLIII, 25. Jerem. XXIII, 6. L, 10. Pariter in V. T. justus ex fide suâ vivebat, juxta præceptum Habacuci c. 2. v. 4. *Justus ex fide suâ vivet*, hoc est, justificabitur Rom I. 17. Gal. III. 11. & salvabitur Ebr. X. 37. 38. quibus in locis vita fidei, de quâ agit Habacuc, de gratuitâ peccatorum remissione & justificatione fidei propter Christam exponitur. Quid, quod ante passionem mortemque Christi disertè fidelibus ἀφεσις attribuitur? Matth 6. v. 12. 14. c 9 v. 2. 5. Luc. 5. v. 20 23 c. 7. v. 47. 48. stante adhuc Aaronico sacerdotio, quod venerari jusserat Christus, misso ad sacerdotem à se purificato homine Matth. II. 4. Et Marci I. 4. Job. III. 36. Johannes legitur baptizasse & docuisse βαπτισμα μετάνοιας eis ἀφεσιν ἀμαρτηῶν, ante peractam satisfactionem in cruce. Conferantur etiam loca clarissima, simpliciter universalialia, & ad nullum tempus restricta Luc. XXIV. 47. Actor. IV. 12. X. 43. XIII. 38. 39. Rom. III. 21. Hebr. IV. 2 IX. 22.

§. VII. His adjungimus Pauli testimonium Rom. c. IV. v. 3. 11. 22. 23. 24. (cui loco respondent Galat. III v. 6. & Jac. II. v. 23.) coll. cum Gen. XV. 6. Job. VIII. 56. suam de justificatione fidei doctrinam ex V. T. probantis, tum ad Abrahami justificationem provocando, ut ad exemplum universale Patris omnium credentium, tum v. 6. 7. 8. coll. cum Ps. XXXII. v. 1. 2. verbis Davidis remissionem N. T. explicando, nosque eadem cum ipso gaudere justificatione affirmando. At, si discrimen aliquod subfuisset inter Paresin & Aphesin, quomodo hic in illo classico loco, in sede propriâ hujus articuli id potuisset negligere Apostolus, eademque nos ratione justificari, quâ Abraham & David justificati sunt, adstruere? Imò qui potuit: eadem gratiâ, redemptione, justificatione Veteres, nominatim Davidem, esse dilectos, redemptos, justificados, quâ nos, salvâ paresi, tam confidenter asserer e ipse Coccejus? Summ. de Fædere §. 282. 287. T. 6. p. 60. seq. Elucescet quoque justificationis identitas sub utroque T. ex Rom, X. 11. 12. 13.

coll. Esa. XXVIII, 16, Joel II. 32. ut plura accumulare reverear. Non tamen praterendus est meriti Christi æternus valor, virtus ac efficacia infinita, infinitumque pretium. Quò respicitur in *Aposalyph. c. XIII. 8.* quando agnus, ut occisus ab origine mundi, proponitur; & *Hebr. XIII. 8.* Jesus Christus heri & hodiè idem & in secula vocatur; id quod haud exiguum sententiæ nostræ robur addit. Nimirum innuit hoc ipso uterque Apostolorum: haud quicquam referre, an Christum mortuum an moriturum concipias, & sanguinem Jesu Christi non minorem habere virtutem ad purificandas conscientias, antequam esset effusus, quàm jam cum effusus est: Ejus infinitam satisfactionem ad exordium mundi pertingere, omnesque omnium temporum fideles ab omni reatu liberare. Cùm enim mors Salvatoris per modum causæ moralis operetur, ad quam non requiritur existentia; effectus ejus existere potuit ante actualem perpeffionem. Quamvis igitur causa meritoria justificationis & cum Deo reconciliationis in V. T. actu & realiter nondum extiterit, attamen jam tum egit per vim suam retroactivam, ut actu existens, ac valuit in judicio Dei, & operata est ad fidelium actualem justificationem ac reconciliationem Conf. *Henrici Rixneri Exercitatio de Præcipuis inter causam Physicam & Moralem differentiis* §. 23. 30. seqq. 39. seqqqq. *Musei Disquisitio Theologica de Æterno Predestinationis Decreto* c. 3. §. 46. 47. Unde vulgare illud enatum est Theologorum axioma: *Meritum Christi profuit antequam fuit.* Nam quâ fide nos Christiani fideles in N. T., in promissione Evangelicâ Christum exhibitum fiducialiter apprehendimus & retinemus, in eoque justitiam & vitam æternam habemus: Eâdem etiam fide pii veteres in V. T. in promissione Evangelicâ, eundem Mesiam certo tempore exhibendum fiducialiter apprehenderunt & tenuerunt, in eoque justitiam & vitam æternam consecuti sunt; prout accuratè scribit B. D. *Mentzerus* T. III. *Dispp. Giess. Disp. 9. th. 31. p. m. 310.* Confer. etiam B. D. *Sebast. Schmidii* *Disp. ult. de Justificatione* §. 23. p. 22.

§. VIII. Sunt equidem inter Interpretes, qui locum modò memoratum in alium planè sensum trahere conantur, quod faciunt cum *Arctâ Cesariensi Comm. h. l. Isidorus Clarus in Scholiis, Alcasar Comment. h. l. H. Grotius, Sebast. Castalio in Versione sua, Tirinus, Pisca-*

Pisca-

*Piscator, Franciscus Junius in Novis, Sixtinus Amama Lib. 3. Antibarbari Biblici ad Prov. IIX. 22. aliique, verba hæc ab origine mundi, non ad occisionem agni; sed ad inscriptionem nominum in libro vitæ agni mactati referentes, ut hic sensus evadat: Adoraverunt bestiam omnes incole terre, quorum non sunt scripta nomina ab origine mundi, in libro vitæ agni qui occisus est. Quam construendi rationem mirificè adjuvante tum locus hujus libri alius c. XVII, 8. Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ à constitutione mundi; tum etiam verba Christi, inquentis, se aliquando his qui à dexteris ejus in judicii die erunt, dicturum esse: Venite benedicti Patris mei, hereditariò accipite regnum, vobis paratum à constitutione mundi Matth. XXV. 34. Enimverò, etsi nec hæc, nec prior expositio analogiæ fidei quicquam derogat, sicut gravissimè monet magni nominis Theologus Celeberr. Dn. D. Diecmannus in *Pref. ad Biblia Germanica, edita Stada 1690. in 8. p. 27. 28.* prior tamen tutior est, atq; scopo Apostoli propior, idque propter Socinianos, necessitatem hujus constructionis eum in finem urgentes, ut mactationem agni, sive passionem mortemque Domini non esse meritoriam inscriptionis nostræ in librum vitæ causam, obtineant. Præterquam enim quòd nec per trajectionem hanc aliquid decedat virtuti satisfactionis ac meriti Christi: nam liber vitæ nihilominus agni liber dictus, quia in hoc agno *περὸ κατὰ βολῆς κόσμος* electi sumus *Ephes. I. 4.* necessarium etiam esse videtur, ut conjuncta maneant. Quomodo enim Christus agnus est, nisi respectu habito ad sacrificium? Et quomodo aliter fieri potest sacrificium, nisi per mortem sive occisionem? Si igitur liber vitæ fuit ab origine mundi, necesse est, fuisse etiam agnum; quippe cujus hic liber est: Si Christus agnus fuit ab origine mundi, etiam occisum fuisse ab ejusdem constitutione, evidenter sequitur.*

§. IX. Quamobrem plerique interpretum tam antiquorum, quàm modernorum, verba Johannis, uti sine distinctione jacent, accipiunt. Vid. *Irenæum Lib. 5. c. 28. contr. hæres. Glossam Ordinariam, Liram, Ostiandrum, Gerhardum, Cluverum, à Lapide, Bullingerum, Marloratam, Brightmannum, Calovium, aliosque.* Non tamen eodem modo exponunt. Neque enim occisus est Christus ab orbe condito in Abele & aliis martyribus V. T. prout *Paulinus apud Cornelium à Lapide, Li-*

ra & Glossa Ordinaria statuunt. Etenim quando Christus in membris suis occidi dicitur, communio tantum membrorum cum capite, quâ Dominus servorum suorum passiones sibi appropriat *Athor. IX. 5.* indicatur, nequiquam verè typica adumbratio; neque occisio illa causa esse potest, ut aliquis scribatur in libro vitæ; in quem finem Salvator ipse pati atque occidi debuit. Neque etiam mactatio illa propria, realis ac physica fuit; quod verè stultum esset dicere. Vide *Franzium Dissp. 16. Scholæ Sacrificiorum num. 99. p. m. 513.* Sed mactatus est agnus statim ab origine mundi figuratè (I) respectu tyorum omnium, quibus à mundi ortu prefigurata est passio & mors Redemptoris nostri. Conf. *Matth. XII. 39. 40. Joh. III. 14. 15. Ephes. V. 2.* Quam enim vim & virtutem habuerunt sacrificia expiandi peccata, Deumque hominibus reconciliandi *Lev. II. 1. 2. III. 5. 16. XXIII. 11. 13. 18. Num. XV. 7. XXVIII. 8. XXIX. 6. 36* præsertim sacrificia cruenta, quæ pro peccatis vel privatorum, vel personarum publicarum, vel integræ alicujus communitatis, vel etiam totius populi Judaici offerebantur *Lev. I. 3. 4. IV. 2. seq. 13. seqq. 26. 31. 35. V. 10. seqq. VI. 2. seqq. XVI. 5. 16. 17. 21. sq.* illam omnem habuerunt ex virtute solius meriti Christi; cujus solummodò typi, figuræ ac umbræ fuerunt, ceu cum ex N. T. expositione *Hebr. X. v. 1. seqq.* tum exinde, quòd à re signatâ separata ac sine fide in Christum oblata DEO fuerint exosa, *Esa. I. 11. LXVI. 1. seqq.* nec nisi ex statu corruptionis cœperint, peracto autem sacrificio Christi penitus desierint, *Dan. IX. vers. 27.* luculenter patet. (II) Occisus est jam inde à mundi ortu respectu promissionum & vaticiniorum, quibus passio atque mors Jesu Christi perspicuè olim & sæpius; neque in futuro tantum tempore *Dan. IX. vers. 24. 25.* sed in præterito etiam ad significandam eventûs certitudinem *Esa. LIII. 7. 9. 2.* neque tantum generaliter; sed quod ad omnia ferè, quæ specialiter Christo acciderunt, prædicta est. Προϋεβαγγέλιον harum prædictionum caput ac fundamentum extat *Gen. III. v. 15. coll. Gen. IV. 1. Gen. V. 29.* De cæteris videantur *Esa. VII. 14. Jerem. XXXI. 22. Ps. XXII. per 101. Esa. LIII. p. 2. Zachar. XI. 12. 13. Ps. XLI. 10. Esa. L. 6. Zachar. XIII. vers. 7. Ps. LXIX. 22. XVI. 10. XLVII. 6. LXVIII. 19. CX. vers. 1-4. Esa. XI. 3. XLV. 23. coll. Rom. XIV. v. 10. 11. &c.* Fallissima ergò

ergò

ergò est sententia Hugonis de S. Victore arbitrantis: Quæ persona Redemptoris mittenda foret, homo, an angelus, an Deus, in V. T. nondum manifestatum fuisse. Vide librum *I. de Sacramentis Christianæ Fidei Part. 10. cap. 6. Tom. III. Opp. p. 414.* (III) agnus occisus est ab orbe condito *respectu decreti divini*: quia Deus jam inde à mundi origine, imò ab omni æternitate, decretum fecit, de redemptione generis humani per Christi passionem ac mortem, quòd in plenitudine temporis, tanquam agnus incontaminatus, pro peccatis mundi in sacrificium debeat offerri: Vid. *1. Petr. I. vers. 19. 20.* ut & *æternæ prædestinationis*: quia ante omnia secula decrevit Deus Pater, in Filio, & in Spiritu S. ut in fine temporum veniret & occideretur, ut suâ morte nostram redimeret mortem. Sic Haymo in h. l. (IV) *respectu efficacæ*. Notanter B. Gerhardus ad h. l. & in *Commentar. ad v. 21. Epist. 1. Petr. I. Virtute & efficaciam reconciliationis per Christum factæ omnes, credentes V. T. sunt coram Deo justificati & salvati; Sicque hæc mactatio profuit antequam fuit, habuit suam efficaciam jam inde à primâ mundi origine.* Prævit Bernardus, vel quicumque demum Auctor est Sermonis in Cœnâ Domini *Operum Bernardi col. m. 1679. h. Prius mors Christi profuit, quàm fuit.*

§. X. Porrò sequentem in modum argumentamur: (1) Si Patres Veteris Testamenti adhuc manserunt sub reatu, peccatumque ipsis imputatum & exprobratum est; planè non sunt justificati. Atqui Patres V. T. & c. E. Consequentia probatur: quia justificare nihil aliud est, quàm obligationem & contractum reatûs, prout peccatores constringit, rescindere. Ubicumque verò chirographum non restituitur, nulla locum invenit remissio. Assumptio ipsius Cocceji est. Vide §. 3. & 4.

§. XI. (II) Si Patres consecuti sunt remissionem pœnarum, liberati ac absoluti sunt ab omni obligatione ad pœnam: Si absoluti sunt ab obligatione ad pœnam, perfectè justificati sunt. Atqui Patres consecuti sunt remissionem pœnarum, & absoluti sunt ab omni obligatione ad pœnam E. Connexio satis evidens est: quia dum pœna tollitur, nequit remanere culpa, & vice versa. Aut omninò non sunt justificati, atque ita nullam habuerunt remissionem, ne pœna quidem; aut plenariè, & adepti sunt aphefin: justificatio namque, ceu actus forensis ac judicarius, consistit in indivisibili: Nemo magis
vel

vel minus justus est, nemini magis vel minus injustitia propria non imputatur, & Christi justitia imputatur. Justificationis enim causa formalis & non imputatione peccatorum & imputatione justitiae Christi, satisfactrice e. jusdem obedientiae, cum activâ tum passivâ, nobis acquisita, absolvitur; est imputatio illa non potest concipi ut imperfecta, nec gradus ullos admittit. Aestimatur nos Deus non qualitercunque, sed absolutè justos. Nam Deus gratis ignoscit peccata non secundum magis & minus, sed aequali misericordiâ ac totaliter omnibus, sive majora, sive minora peccata patrarint: ut Scripturae Sacrae convenienter scribit B. Höpferus de Justificatione *Disp. 5. cap. 2. p. 325.* Assumptum est Cocceji. Vide supra §. 4.

§. XII. (III) Quicumque per & propter meritum Christi exhibendi intrârunt in gloriam post hanc vitam, illi per & propter illud ipsum quoad hanc vitam perfectè justificati sunt. Atqui Sancti sub V. T. E. Majorem, confirmamus h. m. quia implicat, sub reatu & maledictione teneri in hac vitâ, & post mortem tamen ab illâ liberari cœloque potiri. Præcedere enim ex divinâ ordinatione necessariò debet vitam æternam, in tempore gratiae ἀφεσις ἀμαρτιῶν: haudquaquam verò reatui obnoxios in præsentî vitâ, altera manet in cœlis. Minorem tueretur ipse Coccejus *Commentar. ad Galat. II. v. 18. §. 96. T. 4. Opp. p. 888. ad cap. III. §. 225. p. 916. in Epist. ad Hebraeos c. 11. §. 84. T. 5. p. 486. ad cap. X. v. 19. §. 82. p. 590.* nec non in *Consideratione Responsionum Judaicarum. c. 30. Tom. 7. Opp. p. 82.* Denique si meritum Christi in V. T. causari potuit non-punitionem delictorum & dissimulationem mali (qualis tamen in Deum nullo modo cadit) quidni etiam plenam remissionem? Siquidem nulla datur remissio nisi plena, ex perfectâ Christi oblatione pro-manans.

§. XIII. Atque ita de veritate sententiae nostrae constat. Reliquum est, ut quasdam ex præcipuis Cocceji objectionibus quàm brevissimè excutiamus. Palmarium argumentum depromit ille ex sede παρέσις *Rom. III. 25. seq.* Scilicet habetur ibi παρέσις h. e. conniventis, præteritio, dissimulatio τῶν προγεγονότων ἀμαρτημάτων sub V. T. habetur quoque ἀνοχή τῆ θεῶ. Remissio ergò reserva-
tur

tur N. T. postquam Dominus Jesus propositus est *ἰλασῆριον*. Vid. *Tract. de Utilitate distinctionis παρέσεως & ἀφέσεως* §. 47. — 87. Tom. 7. Opp. p. 6. 7. 8. 9. 10. Verùm enimverò respondemus I. *Πάρεσιν* idem hîc designare quod aliis in locis *aphefis*. Pereleganter sanè D. Balduinus *Commentar. in h. l.* & ex eo B. D. Alberti *Disputat. c. 2. §. 35*. Pœna remittitur, quando culpa non imputatur, quæ „ tolli & remitti, hoc est, infecta fieri, propriè loquendo, non potest „ Et hoc notatur voce *παρέσεως*, quæ propriè relaxationem signi- „ ficat, metaphorâ sumtââ vinculorum remissione. In quo probatis- „ fimos interpretum non habet dissentientes. Illi enim *paresin* secundum rem hîc non distingvi ab *aphefi*; sed absolutam remissionem denotare contendunt, imò ex hoc loco contrarium evincere conantur: cùm Christus expressè dicatur propositus propitiatorium per fidem, etiam propter remissionem *peccatorum præteritorum* h. e. quæ ante Christi exhibitionem & ab initio primi hominis lapsus, committi cœperant. II. Posito, non concessio, *Paresin* hîc exprimere conniventiam ac præteritionem; nihil inde lucrabitur Coccejus: cùm sic commodè ad Christum referri possit. Nam consideratur ille dupliciter, vel in actuali pro peccatis satisfactione, vel in illius satisfactionis certâ & irrevocabili (mentiri enim non potuit) promissione, seu promissoriâ ad solutionem vicariam obligatione, sub quâ sponsione vixerunt Patres V. T. Cùm itaque Christus ante tempora seculorum, peccata suscepisset ut sponsor ac expromissor, & pro iis ad vicariam pœnam obligatus esset, ab eo tamen, pro sapientissimo SS. Trinitatis consilio, ab initio mundi peccata in ipsum absolute translata, exacta non sunt; sed *per paresin* i. e. infligendæ pœnæ ad tempus omissionem, impunita à Deo ad *πλήρωμα τῆς καιρῆς* relicta: Quod autem pii veteres gratiæ participes facti sint, sub illâ dilatione pœnæ & actualis solutionis quoad sponsorem, æque ut nos, illud Dei tolerantia tribuendum esse, Apostolus innuit. In hoc ipso enim tolerans omninò fuit Deus, quòd licet satisfactio hæc à Filio non esset præstita, sub ipsa mundi primordia; attamen tempus plenitudinis & satisfactionem veluti cum patientiâ expectaverit *Galat. IV. 4.* & æquè piis in V. T. remissionem peccatorum fide in satisfactionem hanc futuram & antrosum & retrosum

C

trosum

torum, ad stirpem usque generis humani penetrantem, ac nobis, exhibuerit. Ineptè contrà Paresis sic intellecta diceretur respectu fidelium V. T. quippe qui nunquam puniendi erant: ast non-punitio-nem Christi, satisfactio & vicaria punitio subsecuta est. Quo accedit, quod Estius *Comm. in h. l. Παρέσιω* cum Chryso-stomo, Theophylacto & Scholiaste græco non exposuerit per *remissionem*, quâ peccata remittuntur, sed quam peccata fecerant, quâ in langvorem, tabem, & quasi *παράλυσιν* mundus ob peccatorum molem prolapsus est, quo impulsa misericordia divina Jesum Medicum misit.

§. XIV. Objicit (2) *Jerem. XXXI. v. 31. — 34. Hebr. II. 8. — 12. & c. 10. v. 17.* Promittitur in hisce locis aphe-sis ut bonum N. T. in futurum. Ergò non attribuenda est Veteri T. At respondemus, doctrinam Evangelii quâ substantiam in utroque T. esse unam eandemque ac prorsus immutabilem, omnisque abrogationis & innovationis, quantum ad substantialia expertem. Hinc quando apud Jeremiam promittitur novum foedus gratiæ, in N. T. diversâ tantummodò Evangelicæ doctrinæ traditio intelligitur. Licet enim foedus hoc gratiæ ad omnia tempora inde à Prot. Evangelio Paradisiaco pertineat, interim tamen aliter olim, aliter novissimis temporibus traditum est, multòque solenniori ratione post adventum Christi, ea quæ ad illud foedus, quod post lapsum statim Deus, de salute nobiscum iniit, pertinent, donata sunt. Neque nos negamus, justificationem in V. & N. T. *intrinsecè eandem* variè dispensatam, diversâque cum connexis beneficiis *οικονομία* (quâ de vide supra §. 5.) datam esse: at à distinctione oeconomicâ atque accidentali ad diversitatem intrinsecam & essentialem, consequentiam valere, inficiamur *Conf. Dent. XIV. 1. 2.*

§. XV. Objicit (3) *Hebr. X. 18.* Ex quo loco clarissimum esse putat, esse quandam aphe-sin, seu remissionem, quæ non possit dici facta quamdiu victimæ pro peccatis offerebantur, & Christi satisfactio adhuc requirebatur. *Conf. ejusd. Tractatus de Utilitate Distinctionis Παρέσιως & ἀφέσιως §. 15. 88. 89. 90. Tom. VII. Opp. p. 3. 10 11.* E-nimverò ex verbis Pauli nihil amplius sequitur, quàm Christo oblato sub novo T. abrogatisque sacrificiis, clariori dispensatione dari aphe-sin.

aphesin peccatorum, promissam olim à Jeremiâ, utpote quæ nunc fiat intuitu actualis expiationis. Demonstrat autem Apostolus valorem, dignitatem, & efficaciam unici sacrificii in cruce oblato, consummantis simul & semel omnes credentes, supra omnia V. T. sacrificia. Neque enim tum opus erat aliâ remissione, quàm quæ dabatur ex fœdere gratiæ, quod cum perceptione commodorum suorum olim jam promittendo inchoatum est, per unicum sacrificium Messia; adeò ut manerent peccata non-expiata per iterata sacrificia, & per Sponsorem suo tempore expianda; remissio tamen Patribus credentibus non denegaretur, ex consideratione scilicet Christi incarnandi maclandique in sacrificium. Cujus sponso adeò fuit efficax ad justificationem, ac si ipsa satisfactio suum sortita fuisset complementum. Sicut etiam Deus Pater absolutè in substituto hoc sponso acquievit, in ipsum peccata hominum coniecit, eumque solum quasi principalem debitorem in exigendis pœnis respexit, illis absolutè ab omni obligatione personali ad pœnam liberatis. Conf. etiam B. D. Sebast. Schmidii Commentar. in h. l. p. 1072. seq.

§. XVI. Objicit (4) *Hebr. XI. 39-40.* Ubi Apostolus dicit de omnibus patribus: *non reportarunt promissum*, quum Deus de nobis *melius* quid providisset, ne sine nobis consummarentur. *Melius quid habemus, nempe præ illis.* Quid? Non consummati sunt sine nobis. Ergò fuerunt illi aliquando non ita consummati, ut nos, adeoque nec habuerunt consummationem conscientia. *Vid. l. c. §. 77. p. 9. §. 112. p. 14.* Sed num ergò ad remissionis naturam spectat obtinere rem promissam? num præcisè requiritur ostensio justitiæ, ut scil. justitia remissionis fusione sanguinis Christi sit demonstrata? Nonne meritum Christi profuit, antequam fuit? Nonne idem præstitit absolutæ expromissioni similis infiniti Filii DEI sponso? Quòd autem melius quid pro nobis providisse Deus dicitur, eo ipso exhibitio Christi in carnè indigitatur; cujus *ἐνοσίχωνον* expectârunt quidem Patres V. T. non tamen assecuti sunt. *Matth. XIII. 16. 17. Luc. X. 23. 24.* Idcirco sine nobis etiam non sunt consummati. Collata equidem est eis gloria atque æterna beatitudo; sed finis seu consummatio seculi illam non est subsecuta. Quod si enim suo tempore sine nobis consummati fuissent, desisset mundus, nec nos unquam nati esse-

mus, aut ad vitam æternam promoti. Quam præsentis loci expositionem ut satis commodam amplectitur Theologus, si ob nihil aliud, ob exegetica certè scripta de Ecclesiâ Christi immortaliter meritis B. D. Sebast. Schmidius *Commentar. in h. l.* p. 1268. seq.

§. XVII. Et sic orthodoxam de piorum Patrum ante Filii DEI incarnationem justificatione Doctrinam, breviter repetitam exhibuimus. Ad causæ universæ emolumentum præter citatos evolvi poterunt *Augustinus* contra Pelagianos, in hunc articulum pariter impingentes *T. VII. Opp. Lib. I. ad Bonifac. c. 7. & 21. Lib. 10. de C. D. c. 25. T. V. Opp. Lutherus in Libro de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. P. 2. de Sacrament. c. 2. p. m. 11. seqqq. P. 2. LL. de Justificatione p. m. 228. seq. B Menizerus T. 3 Dispp. Gress Disp. 9. sh. 23 — 32. p. 307. seqqq. Dorscheus Theol. Zachar. P. I. Dissert. II. c. 5. §. 58. p. 56. Calovius Bibl. Illustr. N. T. Tom. II. p. 1285. in System. Loc. Theol. Tom. 6. cap. 6. qu. 2. p. 490. & seqqqq. Synopsi Controversiar. posteriorum juxta A. C. art. 4. sect. I. Posit. 1. Sect. 4. Pos. 3. Bebelius de Ecclesiâ Antediluvianâ p. 21. seqq. 87. seqqq. 129. seqqq. J. A. Ohlander Syst. Part. III. art. 8. sh. 52. seqqq. p. 75. 76. Scherzerus in Breviul. §. 107. p. 160. D. Alberti Cartesianism. & Coccejanism. c. 2. §. 34. 35. Maximè Reverendus Dn. Præses, Præceptor noster æternis animi observantissimi obsequiis submissè colendus, in *Exercitatione Theologica de Concilio Hierosolymitano cap. XIII. num 9.* Admodum Reverendus Dn. Rosteuscherus, studiorum nostrorum Promotor omni observantâ ætatem colendus, in *Sylloge Thesium Theol. de Justificatione hominis sh. 9.* Dn. Eckhard in *Disp. Wittenb. 1691. habita sub Præsid. Summè Rev. Dn. D. Deutschmanni de Justificationis in V. & N. T. ratione unâ & eadem ex Ps. XXXII 1. 2. coll. Rom. IV. 7. 8.* Hulsius *Specimin. Theol. Hypoth. P. I. p. 46. seqqq. & in Manifestâ Parti primæ adjectâ, Leydekkerus in Vi Veritatis Lib. 5. Controv. 12 & passim. Witzius in Oeconom. p. 598. seqqqq. Allinga Illustr. Erot. Decad. 2. Erot. 4. 5. à p. 48. ad p. 56. Erot. 7 p. 60. seqqq. Dec. 4. Erot. 4. 5. p. 115. — 121. Burmannus in Synops. Theol. Lib. 3. c. 4. p. 536. seq L 5. c. 2. p. 5. Lib. 6. c. 5. p. 210. seq.* Alique quos longo enumerare ordine superfedemus. Interim discursui huic imponentes colophonem, devotas DEO T. O. M agimus gratias, supplicesque eum veneramur, velit studia nostra imposterum quoque*

que in SUI SOLIUS, SOLIUS inquam, dirigere gloriam, quò optatum aliquando consequantur

FINEM!

Μόνω σοφῶ Θεῶ, διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ
ἡ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας. Ἀμήν.

Παρεργα

I. MECHANISMUS THEOLOGICUS, quem moderni Pajonistæ in Bataviâ, ita dicti à celebri inter Reformatos in Galliâ Theologo Claudio Pajono, Ecclesiastæ Rhotomagensi somniant, quòd, scilicet, *Deus ex actu voluntatis suæ mundi creationem decernens, & in tempore exsecutus, talem Machinam produxerit, in quâ creatura quedam irrationales, quedam verò intelligentes & libera esse deberent. Huic Machina motum generalem impressisse, ad finem seculorum usque duraturum, & qui per instrumenta sua omnes motus particulares & eventus contingentes effecturus esset. Itaque hoc posito opus non fuisse, ut DELIS post creationem ulterius manum admooveret, aut creaturis novâ actione, quam concursum vocant, adesset: quia ex primâ illâ impressione omnia, ut Deus præviderat, sequi debuerint, nexu causarum necessario & indissolubili, nisi Deo pro supremo jure suo placeat, aliquando aliter extra ordinem, seu per miraculum agere. Vid. Act. Eruditor. Lips. Anni M, DC. LXXXVIII. p. 596. seqq. Mechanismus, inquam, ille perperam in Theologiam introductus, non tantum Sacræ paginæ adversus est, utpote quæ Deum non otiosum; sed negotiosum mundi spectatorem sistit: verum & insuper homines paulatim ab Opifice ad Opificium ejusque unicam admirationem abducit, & Atheismum ipsum procurat: uti de consimili Mechanismo graviter atque ex vero judicat Illustris Seckendorffus, in Additionibus Des Christen Staats. p. 88. fqq.*

II. Rationes Celeberrimi Petri Chauvini, quibus, *Peccatum Originale non promereri penam æternam*, evincere conatur, nobis nondum satisfaciunt.

III. Precisissimus Voëtianus, nimiam in adiaphoris curiositatem prætendens, nullo idoneo nititur Scripturæ fundamento, Ad

Ad præstantissimum Respondentem,
genuinum Dissertationis Autorem, nullâ in re a me, nisi
communicatione operum Cocceji, adjutum.

Binæ animi vires, per quas intelligit & vult:
Illa petit verum: discupit hæcce bonum.
Quando igitur studiis ornas solerter utramque;
Inde quid eruitur? Verus es atque bonus.

*Hiscæ Auditorem mentem, ob singularem diligentiam
& modestiam ac Orthodoxiæ amorem, Deo &
Patronis commendo, utque in orbitâ verita-
tis, constanter permaneat, neque vel latum
mugnem ab eâ, in cuiusquam gratiam discedat,
sincere hortor & per Christum rogo, cum
voto omnigenæ prosperitatis,*

SAMUEL SCHELGUIGIUS, D.
Disp. Præf.

DITHYRAMBUS.

Hanschi, roseis finxit digitis
Te Tritonia, te formarunt
Charites, trijugûm turba sororum,
Et ter trijugûm turba sororum,
Palmas porrò cumula palmis,
Et Theologiam tandem Dominam
Aude Sophiæ jungere servæ.
Sic juga Parnasi possint gaudere, Sionis
Sic juga te quondam caro latentur alumno:
Sic Genitor nati possit gaudere tropæis,
Et tua Te multis exornet gloria sertis.

*Optimæ Spei Juveni, Bonæ Mentis Amatori Ho-
nestæque Laudis Candidato applaudens p.*

CHRISTOPHORUS BEHR,
Eloqv. & Poët. P. P.

HANSCHI juventæ honor meæ & Decus, nuper
Prodire doctâ disputatione ausus

In

In publicum, hostes Veritatis audaces
Prostraveras: nunc publice novos hostes
Iterum refellis ex sacro Dei verbo,
Laudesque magnas hinc mereris. Ingenti
Hæc spectat ipse gaudio Pater; Nate,
Sic perge, dicens, Nate dulce venturæ
Columen senectæ, spes domus meæ, Nate,
Sic itur astra versus, Hæc Deus faxit.

*Reverend. Dn. Parenti de optimi Filii incrementis,
Filioque simul ipsi de æmulo gressu, quo vestigia
Paterna sequitur, animatus gratulatus scrib.*

M. GABRIEL GRODDECK, P.P.

Noluit e nostris tacitus discedere Athenis,
Artes qui ingenuas imbibit, HANSCHIADES,
Differere ex Sophicis erat hæc nuperrima cura,
Nunc decertantem Sacra Palastra videt.
Sic sic delectat doctas variatio mentes,
Pascitur ut variis floribus Attica apis.
Lata vovent, dextre qui jungunt sacra profanis,
Inque usus vertunt optima quæque suos.

*Athenæi nostri Civi, in Philosophicis & Theologicis probe
exercitato, Auditori etiam suo dilectissimo, abiturum jam
cũv Deo paranti, gratulatur, utque, in Patriam ali-
quando redux, congestas apud exteros eruditionis solidæ
opes impendere multo cum favore possit, ex animo pre-
satur*

M. DANIEL GRADIUS,
Gr. & Hebr. L. P. P.

Arcanum doctè rimaris Amice profundum,
Quid referet justis tecta beata poli?
Approbat hos Pietas doctos sanctosque labores,
Proque piis curis pulchra brabea parat.

*Prestantissimo Domino Autori Respondenti de docto hoc erudi-
tionis Theologicæ specimine gratulor, eiq; studiorum causa
adexteros iter paranti, felicitia quævis apprecor*

M. CHRISTIANUS SAHMIUS,
Mathematicum P. P. Ord. & Rector, Johann.

Præstanti ſimo DN. Auctori
gratulatur


Amicus, Admirator,

GOTTLIEBUS SCHELGLIIGIUS.

Aggreditur Tua ſic rurfus certamina Virtus
Hanschi, Muſis Portio grata.
Miles ades? Salve ô multum ſalve inclyte miles,
Laurus mox Tua tempora cinget.
Nulla ſalus bello; ſed bellum poſcimus omnes,
Contra aſtutos Numinis hoſtes.
Hoc faciens; Coccejanaſ Tua pagina cædet,
En verbi mucrone phalangas,
Divinoque arcens obverſo fulmina ſcuto,
Debentur Tibi juſta Trophæa-
Pellere & æternis hoſtes damnare tenebris,
Conceſſit Deus Optimus arma,
Sic perge innumeris caput objectare periclis
(coëptum non fas liſtere curſum)
Perge ſacro imperio prohibere hoſtilia, juſtè
Alta petens, cœleſtia ſpirans
Sic tutâ placidâque FIDES in pace quieſcet
Prœlia Te Victore gerente,
Et tibi digna Tuâ Virtute *Beſſen* dabuntur:
Gloria, Laus, Victoria, Laurus.

Theologi cathedram doctè cum ſcandere tentas,
Hanschi ſinceri cape ſis breve munus amici,
Exiguum, & gracili modulatum carmen avenâ eſt.
Plura meus mihi mandat amor, Tu plura recuſas:
Proſperet Omnipotens ſacrum Deus huncce laborem
Sancta fides nullâ ut ſectatur turbinis aurâ.
Dent hoſtes ſua terga Tibi: Premis ecce cathedram
Theologiæ cuſor, Sophiæ, ſandique peritus.

CHRISTIANUS NICOLAUS HOPPIUS,
Soltquell, Marchic.



Coll. diss. A. 216, misc. 15